Ad amplissimvm et egregivm virvm Bartholomaevm de Moor van Immerzeel, altervm vrbis govdanae consvlatum feliciter avspicantem

ipsis nonis janvar. MDCCLXVII

Pieter Burman II

bron

Pieter Burman II, *Ad amplissimvm et egregivm virvm Bartholomaevm de Moor van Immerzeel, altervm vrbis govdanae consvlatum feliciter avspicantem*. Z.p., z.j. [1767]

Zie voor verantwoording: https://www.dbnl.org/tekst/burm002adam01_01/colofon.php

Let op: boeken en tijdschriftjaargangen die korter dan 140 jaar geleden verschenen zijn, kunnen auteursrechtelijk beschermd zijn. Welke vormen van gebruik zijn toegestaan voor dit werk of delen ervan, lees je in de gebruiksvoorwaarden.

dbnl digitale bibliotheek voor de Nederlandse letteren



Ad amplissimvm et egregivm virvm Bartholomaevm de Moor van Immerzeel, altervm vrbis govdanae consvlatum feliciter avspicantem

ipsis nonis janvar. CIↃIↃCCLXVII.

GOVDA fave! sellas repetit tuus ille curules
MORVIS, ille suae publicus urbis amor:
Quem sibi de teneris Virtus Probitasque dicarunt,
Et manibus Musae perpoliere suis:
Libertatis amor cui nobile pectus adurit,
Cui gravius leto est hanc violare nefas;

Sed populi cui norma salus, legumque potestas,
Et Patriae et civi saepe probata fides:
Non trabeam vulgi cui mobilis induit aura,
Nec Sors ex humili tollit ad alta loco:
Non mendicati fasces, emtaeve secures,
Et non ambitum, supplicis instar, ebur;
Sed meritis oblatus honos, a Consule lucem
Fulgoremque, aliis quem dare suevit, habet.
Hae Tibi sunt privae, MORI cultissime, dotes,
Et rarum, Invidia paene fatente, decus.
Talis erat Latiis nomen memorabile fastis
Mallius, Aonidum gloria, lausque togae.
Te quamvis proprio splendore involvere posses,
Atque inter Musas tecum habitare tuas;
Et procul a curis ad dulcia murmura Rheni
Otia in exculto rure beata sequi;
Est tamen, est aliquid, quas purpura donat, habenas
Urbis, inoffenso calle, tenere suae;

Integrum et Patriae rectorem audire salutis,
Civibus et vigilem consuluisse bonis.
Est aliquid dignos virtute resumere honores,
Mercedem et meritis, hoste fremente, parem.
Ut solet obtusum radiantis imagine Phoebi
Lumen in obscura claudere talpa domo;
Consule Te sic Livor iners praecordia rumpit,
Obliquumque refert in sua lustra pedem;
Et quamquam meminit fortunam habuisse nocendi,
Nunc nihil ex voto posse nocere dolet.
Cui gentilitii praelustria signa decoris
Defendit clypeo Pallas amica suo,
Et lauri aeternae foliis Parnasides ornant,
Quamlibet injustas despicit ille manus.
Effer, GOVDA, caput! redimitus arundine frontem
Isala gratantes exserit amne comas.
Jam rutilas incende faces, jam pompa paretur
Annua, sollemni conspicienda choro.

Dum tuus incedit, Procerum comitante caterva,
MORVIS, a fausta compita voce sonent.
Laetitiaeque dator fundat sua dona Lyaeus,
Dum celebrat festas Curia tota dapes.
Et tibi laudetur mens provida Principis alti,
Tam bene quae rebus prospicit aequa tuis.
Semper et a simili decorentur Consule fasces,
Si Patriae et Populi commoda cara, vove.

PETRVS BVRMANNVS SECVNDVS.